

Moeller

an
Paed
Programm

Univ.-Bibl.
Giessen

Jahresbericht

über das

Großherzogliche

Carl Friedrichs-Gymnasium

zu Lisenach

von Oftern 1862 bis Oftern 1863

erstattet

von

dem Direktor

Dr. Karl Hermann Funkhänel,

Großherzoglich Sächsischem Hofrath und Ritter des Ordens vom weißen Falken.

Voran steht

eine Abhandlung des Kollaborator Wölfler:

De eruditione Graecorum.

Weimar

Druck der Hof-Schuldruckerei
1863.



~~From Join~~

De
inst
tem
sole
nat
end
legi
civi
libe
neg
cur
mel
ad
atq
vic
ut
tum
non
mo
mo
Hi
ins
lite
rati
mir
niss
cinq
anim
mor
et
rela
Arc
ad



De eruditione Graecorum.

De eruditione populi alicuius vel nationis quum scripturi sumus, illud tempus, quo civitas nondum instituta legibusque constituta est, omittendum nobis esse, nemo negabit. Nam usque ad hoc temporis momentum eruditio, patriarcharum quos dicunt more disposita, penes patrem familias esse solet; sed si primis temporibus peractis populus legibus institutisque communibus coniunctus est, si natio cuncta commodum commune persequitur, adolescens hominum genus neque omnino non erudendum est neque eius eruditio voluntati solius patris familias concedi debet. Imo vero civitati legibus constituendum est, quum ut liberi educantur atque erudiantur, tum ut eorum animi secundum civitatis utilitatem excolantur. Quibus legibus omissis ad suum quisque consilium atque iudicium liberos erudiret, itaque cives eiusdem reipublicae, alii alia ratione educati, varios fines persequerentur neque civitati omnino prodesse. Quodsi civitas eruditionem legibus publicae curae mandandam curaverit, populi cultus atque humanitas eodem modo magis magisque augebitur, quo civitas ipsa melioribus legibus temperata erit quoque melius res suas publicas administrabit. Quam eruditionem adolescentis hominum generis primis temporibus ad praescripta certa non fieri neque certum finem atque consilium spectare, liberos vero secundum indolem patris, civitatis, gentis, populi vitam et victum sequi inter omnes constat. Posterioribus demum temporibus disciplina quaedam paedagogica, ut ita dicam, certo consilio certisque finibus perspicitur. Eruditio primum moralem quandam habitum atque cultum adolescentium consequitur. Quod morale communibus legibus atque institutis non sancitur, sed *ἥθος* cuiusque gentis, cuiusque nationis secundum varietates sui coeli, ingenii, morum, institutorum, rituum varia ratione excolitur, ut quod contra alius populi νόμιμα sit, alius moribus sanciat. Quae omnia veterum rerum publicarum historia nobis confirmat et ostendit. His paucis verbis praemissis de Graecorum eruditione pauca me scribere liceat, quorum moribus, institutis, legibus tam multi populi atque nationes multa per saecula eruditi sint, quorum exempla literarum atque artium usque ad nostrum tempus legentium et spectantium animos summa admiratione, maximo imitandi ardore et studio impleverint et inflammaverint. Graecia, inter Asiam minorem, Aegyptum, Italiam sita, pluribus sinibus secta et incisa altis montibus vallibusque amoenissimis ornata, septentrionem versus perpetuis montium iugis circumdata aliis ex partibus mari cingitur eaque ratione in partes tres dividitur. Natura ipsa hominem varia ratione ad corpus animumque excolendum monebat. Insulae, litora, montes contra impetus hostium terram tuebantur; montes singulas civitates et urbes disiungebant, mare autem omnes cingebat eoque modo conjungebat et homines ad perpetuam strenuitatem ducebat; ager, nisi labore cultus, fertilis non erat, itaque relaxationem corporum et animorum prohibebat viresque exercebat, ut Messene ad agriculturam, Arcadia ad rem pecuariam, Attica ad oleas colendas, Laurion et Thasus ad metalla, urbes maritimae ad mercaturam et commercium, litora et insulae ad naves aedificandas impellerentur.

Heroum temporibus qua ratione Graeci eruditi sint praecipue ex Homeri carminibus elucet. Dii ipsi, quos Graeci non ab omni aeternitate adesse, sed tempore aliquo natos esse cogitabant, imaginem vitae victusque hominum illius temporis nobis praebent, itaque quaerere licet, num Graeci deos aliqua ratione eruditos esse putaverint. Sed dii, simulatque nati sunt, alii aliam vim quandam divinam eamque statim excultam atque perfectam ostendunt. Mercurius, adhuc puer, astutiam suam patefacit, Apollini boves furatur, testudinem repertam chordis intendit. Minerva armata e Jovis capite excedit et statim cum diis pugnam contra Gigantes init. Apollo puer iam arcum tendit et fidibus canit. Deorum ergo animi non excoluntur et erudiuntur, sed corpora tantum aluntur, custodiuntur, coluntur, eamque ob rem, paucis locis exceptis, *τρέφειν* tantum, *ἀνατρέφειν*, *τροφός*, *τίτρα*, *τιθήνη* reperimus, raro *παιδεύειν*. Filii autem deorum, e feminis mortalibus nati, non solum a Nymphis, Horis, aliis deabus nutriuntur, verum etiam a praeceptoribus quibusdam erudiuntur. Hercules exempli gratia¹⁾ cum fratre gemino Iphicle a matre Alcмене in clypeo aeneo quasi in cunis agitatur et cantu suavi ei somnus conciliatur. Aetatem puerilem ingressum Linus et Eumolpus eas artes docent, quibus heroum temporibus animi excolebantur, *γράμματα* et fidium cantum *ἐν φόρμιγγι*. Artem gymnasticam et armorum telorumque usum heroes praeclarissimi eum edocent.

Heroum graecorum eruditionem si contemplantur, distinguendum nobis est, num Homerus de iis narret annon. Nam prius tempus clare perspici non potest et ultimus tantum huius temporis praeceptor, ut ita dicam, ab omnibus dicitur Chiron, qui ipse posterioris quoque temporis heroes erudivisse narratur. Nam praeter Jasonem, Machaonem, Podalirium Achilles eius discipulus ultimus isque praeclarissimus fuisse dicitur. In antro illo clarissimo²⁾ reperimus antiquissimam Graecorum disciplinam ibique adolescentēs heroes et a Chirone ipso et ab eius uxore atque filiabus nutriebantur et erudiebantur. Figura ipsa Centauri rudes antiquissimorum temporum mores magis magisque excultos esse significabat, et quod antrum illud septentrionem versus situm erat, in Thessalia et in Thracia primum animos moresque hominum expolitos et inde alias quoque nationes eruditas esse intelligi potest. Quodsi quaerimus, quas praecipue artes Chiron discipulos docuerit, plures iam a posterioris aetatis poetis atque historicis commemoratas reperiemus; nam non solum venandi artem armorumque usum³⁾, verum etiam artem medendi, divinandi, cantum fidium eos docebat, et quod maximi erat momenti, adolescentes admonebat, ut iuste atque honeste agerent, iusiurandum sanctum haberent, qua ratione deorum iram placarent; quibus praeceptis multa alia praeclarissima (paraneses) adjungebat⁴⁾.

Utraque illa arte, et musica et gymnastica, quae posterioribus temporibus praecipue excolebatur, iam Homeri tempore adolescentes instituebantur. Quae res maxime apparet, si Achillis et Ulixis dicta atque facinora contemplantur. Achilles, corporis pulcherrima forma praestantissimisque viribus, pro honore atque amicitia mori quam vivere mavult; cui quia Agamemnon aegre fecit, neque Achaeorum victoria neque clades movere eum potest, ut arma capiat et pro sociis pugnet; sed amico necato in certamen procurrat et hostem fortissimum validissimumque superat. Ulixes contra, ingenio magis insignis quam corporis viribus, et astutia et audacia omnia pericula facile vincit. Quodsi quaerimus, qua ratione Homerus Graecos adolescentes eruditos esse narret, haec fere inveniemus. Puerum primis annis parentes soli nutriendum et custodiendum curant, et saepissime non mater ipsa⁵⁾, sed nutrix⁶⁾, posteriorum autem auctorum narrata si sequimur, uxor herois vel principis ipsa nutrit. Deinde patre moderatore et curatore a matre praecipue et cultrice qua-

¹⁾ Theocrit. Idyll. XXIV, 1.

²⁾ Pindar. Pyth. IV, 102. VI, 21. Plutarch. d. mus. 40. Xenoph. d. ven. 1, 2.

³⁾ Plutarch. *περὶ μουσικ.* c. 4. 40.

⁴⁾ Paus. IX, 31. 4.

⁵⁾ Odys. XIX, 401. Jl. VI, 467.

dam eruditur, maximique momenti est, puerum viribus corporis crescere. Adolescentem filium socius, paucis tantum annis maior, sive amicus sive cognatus, qui paupertate vel fortuna quadam alia coactus patris domum intravit, comitatur, qui socius atque amicus et *ἑταῖρος* et *θεράπων*⁶⁾ nominatur, quo utroque nomine exempli gratia Achilles de Patroclo amico utitur. Quare huius temporis sodales distinguendi nobis sunt a paedagogis, qui posterioribus tantum temporibus principum filios custodiebant. Illi enim plerumque viri e nobili quadam gente nati, a regibus vel amicis vel consanguineis recepti, cum eorum filiis erudiebantur eosque simul custodiebant, paedagogi autem plurimi vel homines gentis cujusdam humilis vel servi erant, qui et filios et filias domini custodiebant, nonnunquam extra domum comitabantur neque unquam erudiebant. Quas artes Chiron discipulos docuerat, Homeri quoque tempore patres filios docuisse traduntur. Quare primum vocis aut fidium cantum invenimus, et *φύραξις* sive *κίθαρις* erat instrumentum, quo Graeci utebantur, et ad quod cantica secundum modulos simplices de facinoribus et deorum et heroum canebantur. Tum adolescentem ut recte iusteque viverent admonebantur, de qua re magna praeceptorum multitudo usque ad nostrum tempus pervenit. Deinde ars et divinandi et medendi docebatur⁷⁾, quam utramque pater ipse filiis interpretabatur. Ad haec literarum quoque usum, etsi minimum, Graecos novisse multi putant, et quum armorum ornamenta legimus, quae Homerus nobis describit, non possumus non opinari, Graecos, qui tam artificiose pinxerint et sculperint, etiam nonnullas literas cognovisse et adhibuisse. Eodem modo, quo animi adolescentium excolebantur, etiam corpora exercebantur et ad labores maximos ferendos firmabantur; maximamque gloriam Graeci habebant virum fortissimum validissimumque esse, qui patriam defendere, hostes opprimere et in certaminibus vincere sciret. Nam non solum magnae corporum vires magnumque robur, sed etiam celeritas atque velocitas in arte gymnastica et agonistica requirebantur. Curriculo heroes inter se certabant⁸⁾, praeterea autem docebantur luctationem, curriculum, discum, iaculum mittere, pugilatum. Ad haec venandi quoque ars tractabatur, quam, ut supra diximus, in Chironis antro iam adolescentem docebantur. Sed Homeri temporibus plures artes nemo simul discebat, sed una tantum praecipue excolebatur, ut qui pugilatum sciret, discum iacere nesciret; Ulixes⁹⁾ solus socios superavit, quod curriculum, luctationem, telorum et disci iactum simul sciebat.

Altera ex parte eruditio feminarum multo simplicior erat, quam adolescentium heroum; nam praecipue artem nendi, texendi, acu pingendi discebant. Praeterea servas has artes docebant, vestes lavabant et mundabant, infantes nutriebant, aliis rebus domesticis fungebantur.¹⁰⁾ Saepissime et nentes et textentes cantabant, quare concludere possumus, cantum quoque a mulieribus et virginibus illo tempore esse excultum¹¹⁾. Ad haec nonnunquam herbas salubres haud ignorabant, quin etiam incantabant vel artem magicam exercebant¹²⁾. Quamquam maximam anni partem virgines domi versabantur et cum matribus ac nutricibus rebus domesticis fungebantur, tamen interdum per vias aut vehebantur aut ibant, semper autem servae eas comitabantur. Domi autem remanent, nisi certum quandam finem persequantur, ut Nausicaa¹³⁾ ad fluminis ripas proficiscitur, vestes patris fratrumque lavatura. Praeterea permissum erat nobilium filiabus in orbem saltare et pompas facere, ut deum vel deam quandam honorarent, itemque sacrorum festorumque rusticorum participes erant. —

⁶⁾ JI. XXIII, 90. XVIII, 98. XVI, 244.

⁷⁾ Od. II, 146. 157.

⁸⁾ II. XXIII, 306.

⁹⁾ II. XXIII, 709 sqq. Od. VIII, 186 sqq.

¹⁰⁾ II. VI, 456. Odyss. II, 94. VI, 53. 306. X, 222. XVIII, 314.

¹¹⁾ JI. XVI, 182. Od. X, 221. VI, 101.

¹²⁾ Od. IV, 220. JI. XI, 741.

¹³⁾ Odyss. VI, 84.

His peractis ad id temporis spatium pervenimus, quod non ex carminibus poetarum et fabulis, sed ex historicis ipsis perspicere possumus. Sed ab Homeri temporibus usque ad Lycurgum, Draconem et Solonem pauca tantum clare intelligi possunt eaque minoris sunt momenti. Ad haec gentes illis temporibus huc illuc migrantes novas institutiones non faciebant, sed praecepta maiorum sequebantur, quae quum sacra haberentur religione et cultu homines a consuetudinum depravatione prohibebant, quorumque memoria firmabatur carminibus poetarum clarissimorum, ut Hesiodi, Phocylidis, Simonidis, aliorum.

Varias graecas nationes secundum indolem et coelum eruditionem quoque variam habuisse nemo negabit. Quare et Dorum et Jonum legum latores varios reperimus. Primus, de quo certiora scimus, nominatur Lycurgus, qui praeceptis suis rempublicam augere volebat eamque ob rem omnes cives pro civitate tantum omnia agere cogebat. Nemo sibi ipsi, ne familia quidem vel gens secundum suam voluntatem aliquid incipere poterat, rei publicae commodum unicum observandum erat, itaque legibus institutisque severissimis cives a luxuria et virium mollitia prohibebantur aptique ad patriam adversus pericula maxima defendendam reddebantur. Eruditio adolescentium Spartanorum id primum spectabat, ut cives reipublicae omnino prodesse, eaque eruditione omnia nemo Spartanus habebatur, quam ob rem alienigenae minoris aestimabantur. Solon contra alia ratione Athenis leges dedit, praesertim quum respublica ionica omnino aliter instituta esset et regeretur quam respublica dorica. Imprimis Sparta et Cretae cives praescripta maiorum diligentissime servabant et sequebantur, Athenis autem leges mutabantur et excolebantur, prout tempora ipsa cum hominum moribus institutisque commutabantur. Utraque autem respublica nihil aliud agebat nisi ut adolescens eruditione ἀνὴρ γρόνιμος, συνετός, δραστήριος fieret, qui et in foro et domi iuste recteque ageret et loqueretur. Inter omnes autem urbes graecas imprimis Athenae ingeniorum cultu excellabant; quare pauca de huius reipublicae eruditione dicenda sunt.

Ab heroum iam temporibus Attica eosdem incolas habuerat iique cum aliis nationibus commixti non erant¹⁴⁾, excepto Pelasgorum agmine, qui ex Thessalia pulsi per Boeotiam Athenas venerant ibique ab Atheniensibus libenter recepti prope Hymettum agros colebant, donec ob causam quandam hinc excedere cogerentur. Quare Athenis, ubi Eumolpidae deorum cultum et Eupatridae res publicas administrabant, ubi neque bellum neque factionum discordia cives movebat, ex aliis autem civitatibus expulsi cives recipiebantur, animi sine ullo impedimento excoli poterant. Quid Draco de eruditione instituerit nescimus, sed haud incredibile est, eum hanc quoque legum partem spectasse; fortasse etiam inter Solonis leges nonnullae erant, quas a Dracone receperat. Poetarum quoque carmina ad animos erudiendos plurimum valebant, quum Lyricorum praecipue carmina, praceptorum optimorum plena, iuventutem ad facinora pulcherrima inflammarent, eaque ut memoriae imprimerent adolescentes quotidie admonerentur.

Quodsi eruditionem Atheniensium illis temporibus a Solone usque ad bellum peloponnesiacum contemplamur, haec fere inveniemus. Primum puer recens natus a matre, a nutrice et a cultrice nutriebatur et custodiebatur (fasciis infantes involvere exceptis Spartanis ubique mos erat); ab his cantu et oscillo placabatur, et ab his primum fabulas et deorum heroumque facta docebatur. Quae omnia in domibus divitum aliter facta esse quam in pauperum dubium non est. Ita secundum mores maiorum a Solonis temporibus usque ad bellum peloponnesiacum pueri educabantur, ut familia ipsa ad animos excolendos plurimum conferret. Nutrix plerumque alienigena erat, quum Athenis hoc munere fungi mulieri liberae turpissimum haberetur et maxima tantum inopia, ut hoc facerent, eas permovere posset. Quare ut infantes nutrimenta sana acciperent, interdum Athenienses divites nutrices e Sparta petebant, quod exempli gratia de Alcibiadis iuventute narratum invenimus¹⁵⁾.

¹⁴⁾ Thacyd. 1, 2.

¹⁵⁾ Plut. Alcib. 1.

Postea quum infans crevisset, iuxta nutricem etiam cultrix (*τροφός*) puerum custodiebat. Interdum verbo *ἡ τροφός* utraque femina, et nutrix et cultrix, significabatur; et plerumque erat femina, quae propter aetatem muneribus aliis domesticis fungi amplius non poterat. Infantes melle et aliis mollibus alimentorum frustulis (*ψωμοί*) nutriebantur. Ab ineunte aetate pueri mysteria varia cognoscebant, ut dii iis faverent eosque tuerentur; quin etiam *προβασκάνια* contra magos et incantatores superstitiosi parentes liberis tribuebant. Cunis (*εὐκίνητα κλινίδια*) posteribus tantum temporibus utebantur; neque enim Plato neque Aristoteles de iis quidquam dicit, sed infantes in alveo agitabantur vel in qualo, qui saepe *λίχνον* appellatur; ad haec, ut etiam nostris temporibus fit, mulieres cantabant (*βανκαλήματα, καταβανκαλήσεις*).

Ludi Graecorum varietate maxima et pulchritudine infantium et puerorum animos tenebant. Primum commemorare debemus crepitaculum, quod instrumentum Archytas invenisse dicitur, deinde turbinem, tum cursum cum circulo, (*τροχος*) et imprimis pilas. Num alios quoque ludos Graeci habuerint et quot cognoverint, nescimus, quum de hac re ab auctoribus graecis nihil scriptum sit. Sexto vel septimo aetatis anno peracto cultricis loco paedagogus puerum custodiendum accipiebat, qui totum eius victum curabat, qui eum semper comitabatur, eumque etiam in *διασκαλειον* et in palaestram sectabatur.¹⁶⁾ Qui paedagogus plerumque servus erat, quem pater idoneum putabat, et saepissime fiebat, ut talem servum eligeret, qui aut propter senectutem aut propter virium imbecillitatem alio munere fungi amplius non posset, itaque et ingenium et mores huius paedagogi rarissime spectabantur. Sed haud dubium est, quin Athenis etiam fuerint, qui servo et ingenio et moribus praestanti paedagogo puerum traderent, ut iure *καλοὶ κάγαθοι* dicerentur. Ex quibus omnibus videmus, paedagogum neque literas neque artes puerum docuisse, sed eum semper comitatum esse eiusque victum custodivisse. Puer primum scholam obibat grammatae, quae non publice sed privatim habebatur, ibique literarum scientiam verbaque syllabatim efferre edocebatur, deinde tota quoque verba legebantur; quae omnia verbis *γράμματα μανθάνειν* Graeci complectebantur. Quomodo pueri literas scribere didicerint, reperimus in Plat. Protag. p. 326: *ὡςπερ οἱ γραμματισταὶ τοῖς μῆπω δεινοῖς γράφειν τῶν παιδῶν ἐπογράφαντες γραμμάς τῇ γραφίδι, οὕτω τὸ γραμματεῖον διδάσκει καὶ ἀναγκάζουσι γράφειν κατὰ τὴν ὑφήγησιν τῶν γραμμῶν, ὥς δὲ καὶ ἡ πόλις νόμους ἐπογράφασα κτλ.* Magister pueros mythos quos dicunt deorumque cultum docebat, qua in re praecipue ei curandum erat, ne liberorum animi superstitione imbecilliores fierent. Praeterea pueri septimo fere vel nono aetatis anno musicae artis primordia discebant; quumque in Graecia musica praecipue id spectaret, ut ea et dii colerentur et iuvenes erudirentur¹⁷⁾, omnes voce et fidibus canere addiscebant; attamen plerique perfectione quadam non excelebant, exceptis iis, qui hac arte victum sibi paraturi erant. Sed hanc artem scire necessarium erat, quum diebus festis in deorum honorem hymni canerentur virique armati canentes in pugnam proficiscerentur. Postea geometriam, arithmetiam (ad haec digitis computandi artem¹⁸⁾), artem delineandi, geographiam noverant, et adolescentes aetate maiores etiam astronomiam docebantur. Quum pueri ediscere et memoriter lecta reddere didicissent, exercebantur arte recitandi artificioseque declamandi, semperque optimorum poetarum, imprimis Homeri, Hesiodi, Simonidis, poetarum cyclicorum, quos dicunt, aliorum, carminum loci adhibebantur, qua in re id maxime spectabant, ut recitandi modus pulcherrimus esset, eamque ob rem orator nisi voce sonora praeditus egregius non habebatur. Praeterea prioribus temporibus pueri leges quoque ediscebant et postea magis magisque *παιδικὰ ἀγνώσματα* accedebant, velut fabulae Aesopeae et alia carmina. Ex quibus omnibus apparet, eruditionem cunctam Graecorum adolescentes ad id perduxisse, ut modesti, venusti, lepidi, bene morati essent. Posterioribus temporibus multitudo

¹⁶⁾ Plat. Lys. p. 223.

¹⁷⁾ Aristotel. Polit. VIII, 7. Plat. περί μουσικῆς c. 27.

¹⁸⁾ Herodot. II c. 63.

horum carminum in dies ita augebatur, ut nonnulli viri doctissimi ea emendare atque corrigere, quin etiam magnum eorum numerum plane remove conarentur, et Homeri ipsius Hesiodique carmina ad erudiendos adolescentium animos idonea non iudicarent, quia uterque poeta de deorum fraude, dolo, furto, adulterio scripsisset. Et Plato ipse non solum Homerum, sed etiam omnes poetas e republica sua exagitare volebat. Attamen neque Homeri neque Hesiodi carmina unquam neglecta sunt, sed quum in schola tum etiam extra scholam a rhapsodis recitata ne Platonis quidem iudicio ex animis Graecorum expelli potuerunt.

Haec eruditio puerorum, e liberis iisque divitibus parentibus natorum, discernenda est a pauperum eruditione. Nam metoecorum quos dicunt pueri artem quaestuosam quam primum discabant, ut victum ipsi sibi pararent, quare tempore ita uti non poterant, ut divitum pueri, eique parcere debebant ad exercendas eas artes, quae iis opus erant. Quam ob rem aut a parente ipso aut ab alio quodam homine maxime necessaria edocebantur. Illis temporibus eruditio adolescentis e nobili gente nati, si omnes artes quas doceri solebant complectebatur, maximum adferbat sumtum, itaque divites tantum hoc modo pueros erudiendos curare poterant. — Puellarum et virginum eruditio multo erat simplicior; ut enim omnino mulier minoris aestimabatur¹⁹⁾, sic etiam paululum tantum erudiebantur, et coniux saepissime uxorem res domesticas curare docebat, quum prius hoc non didicisset. Modestia, castitas, pudicitia, parsimonia erant virtutes, quibus virorum admirationem et amorem adipiscebantur et retinebant.

Eadem ratione, qua animi puerorum et adolescentium erudiebantur, ut iam supra commemoravimus, etiam corporis vires exercebantur et firmabantur, quod quidem praecipue in palaestra fiebat. Praeterea maximi sine dubio momenti erant puerorum chori, qui summo studio a chorodidascolo, quem dicebant, exercebantur quorumque sumtus a cive quodam, qui χορηγός dicebatur, solvebantur. Instrumentorum musicorum, imprimis citharae, usum tractabat citharista. Per aliquod tempus tibia quoque canere pueri docebantur, sed Plutarchus refert, Alcibiadem hoc instrumento uti recusasse, et quod vultus eo distorterentur et quod tibia canentes nec loqui nec voce canere possent, eumque hanc ob rem aequales movisse, ut hanc artem plane contemnerent. Simul discabant numerum harmoniamque versuum. De qua re verbis Schmidii utar (Dr. C. Schmidt. Gesch. d. Paedagogik B. I. p. 217.): „Dabei wurden eine Menge Lieder auswendig gelernt und ward die Fähigkeit erworben, volksthümliche Dramen aufzuführen und Tischlieder zu singen, die, wie Bernhard sagt, kräftig und geistvoll die schlichten Gefühle und Sätze der Sittlichkeit, der patriotischen Gesinnung und Lebensweisheit empfahlen. Alles war hier harmonisch und Eins. Die Worte ernst fromm und belehrend; die Rhythmen grossartig und feierlich; die Melodie einfach und angemessen.“

Octavo fere aetatis anno, quum corporis vires firmiores essent, ars gymnica tractabatur. Paedotribes, quem dicebant, pueros hac arte exercebat, qui privatim rem susceperat, attamen publicae custodiae atque auctoritati, etsi paululum, obnoxius erat. Merces quoque (μισθός), quam magistri accipiebant, res erat privatorum. Disciplina et in schola et in palaestra magister secundum suum arbitrium uti poterat, eumque nonnunquam baculum virgamque adhibuisse, plurimi veterum auctorum loci ostendunt. Exercitationes gymnicae, quae Athenis id spectabant, ut corporis forma pulcherrima animi quoque pulchritudinem patefaceret, in palaestris a pueris et in gymnasiis ab adolescentibus et viris perficbantur. Pueri in duas vel tres partes divisi varie exercebantur et Mercurii tantum diebus festis (τὰ Ἑρμια) coniuncti palaestrae operam dabant. Primum simpliciores et faciliores exercitationes adhibebantur, donec decimo fere aetatis anno quinquertium inciperetur, quod, si Simonidis versum sequimur, quinque artes (ἄλμα, ποδοκείρη, δίσκον, ἄκοντα, πάλην) complectebatur; postea autem pugilatus pro iaculatione accedebat. Palaestra ante solis ortum aperi non debebat et ante solis occasum claudenda erat. Matutinas exercitationes ientaculum

¹⁹⁾ Eurip. Iphig. Aul. 1394 εἶς γ' ἀνὴρ κρίσων γυναικῶν μυρίων ἔρῶν γὰρος.

sequebatur
vespertinum
pro republ
denia, ex
templum
eique
non ut
quoniam
excelleret
et adoles
certamin
bium fui
et quam
eleganti
filiorum
visset. E
victus, o
scholarum

Pla
fuisse dici
tum in Gr
Iberiam, I
Angebat b
latorem a
et cives it
esse. Hoc

Spa
militarem,
erat excep
sic etiam
dicebant q
bantur, a
ordines q

Er
de Spart
δ' οὐδὲν
legum n
plurimum
nihil dice
omnia er
quidam r
lavari, no
staut eine
eine der v

²⁰⁾ Dr.

sequebatur, et ad vesperam iterum palaestra frequentabatur eaque sub solis occasum clausa, cibus vespertinus capiebatur. Altera ex parte adolescentes exercebantur in gymnasiis, quae publice aut pro republica in communem usum aedificata erant. Quorum maxima et antiquissima erant Academia, ex heroe Academo nominata et sub umbra olearum sacrarum Minervae sita; Lyceum iuxta templum Apollinis, orientem urbis versus; Cynosarges, quem locum Hercules, quia ibi luctatus erat eique canis albus carnis partem ademerat, sacrificio consecraverat. Quare adolescentes, quorum non uterque parens, sed pater solus Atheniensis erat, in Cynosarge arti gymnicae studere debebant, quoniam Hercules ipse ex imparibus parentibus, deo et muliere mortali, natus esset. Quibus artibus excellerent, adolescentes diebus festis Promethei et Vulcani ostendebant. Non modo autem pueri et adolescentes, verum etiam viri ipsi gymnasia frequentabant et certo quodam tempore inter se certaminibus contendebant. Non unguenta, sed oleum palaestrae vir oleat, Atheniensium proverbium fuisse discitur. Universa eruditio, ut Plato demonstrat, adolescentem quam pulcherrimum, et quam optime moratum efficere debebat; urbanitate, modestia, decoro corporis habitu, venustate, elegantia ut uteretur a filio suo quisque postulabat; et usque ad undevicesimum aetatis annum filiorum parentes tantam habebant auctoritatem, ut eum criminis accusare possent, qui non obedivisset. Hanc auctoritatem etiam Areopagi concilium adjuvabat et augebat, quum ab iuvenibus victus, consuetudinum, sumtuum rationem peteret; eundemque finem denique tota vita publica et scholarum disciplina persequabatur. —

Plane alia ratione Spartanorum filii educabantur et erudiebantur. Hic enim Lycurgus solus fuisse dicitur, qui, quum sapientiam suam e Creta secum tulisset, in Jonia Homeri carmina, quorum tum in Graecia nonnullae tantum partes notae erant, invenisset et descripsisset, deinde per Libyam, Iberiam, Indiam migravisset, Spartam ad placandos tumultus revocatus, civibus suis leges dederit. Augebat hoc consilium etiam notum illud responsum Apollinis Delphici, Lycurgum optimum legislatorem a diis institui; quumque opus suum finivisset, se iterum Apollinem consulturum simulavit et cives iureiurando confirmare iussit, se usque ad Lycurgi reditum eius leges minime mutaturos esse. Hoc iusiurandum ne violarent, Lycurgum non rediisse inter omnes constat.

Spartae potestas cuncta erat penes Dores vel Spartiatis, solos cives liberos nobilitatemque militarem, ut ita dicam. Ut enim nemo concionum, nemo reipublicae administrandae particeps erat exceptis Spartiatis, qui et armis exercebantur et bellum gerebant et rempublicam regebant, sic etiam eruditio a nobilibus instituebatur. Senatores, duodetriginta senum concilium, qui ius dicebant quibusque bini reges, ex Heraclidarum stirpe geniti, praeerant, quinque ephori, qui dicebantur, a nobilibus eligebantur. Respublica ita constituta erat, ut secundum certos modos atque ordines quisque agere cogeretur omnesque penitus cum civitate conjungerentur.

Eruditio omnino erat publica, cum legibus institutisque reipublicae plane commixta, et iure de Spartanis iis verbis uti possumus, quibus Demosthenes or. II. in Aristogit. §. 27. utitur: *ὅλως δ' οὐδὲν οὔτε σεμνὸν οὔτε σπουδαῖον εὐρήσομεν, ὃ μὴ νόμου κεκοινώνηκεν*. Attamen scriptarum legum numerus Spartae tantus non erat, quantus Athenis; maiorum enim mos apud Spartanos plurimum valebat. Concilium, quod Spartani eruditione praecipue persequabantur, erat ut singuli nihil dicerent neve agerent nisi secundum voluntatem et commodum civitatis universae. Omnibus omnia erant communia, quin etiam una coenabant ius illud nigrum, quod iis solis placere Spartanus quidam regi asiatico olim dixit, qui opsonii, id esse in gymnasio exerceri et in Eurota flumine lavari, non obliviscerentur. Hoc loco Schmidtii verba iterum recitare iuvat²⁰⁾: „Es war der Gesamtstaat eine einzige grosse Erziehungsanstalt, in der besonders auch die Erziehung der Jugend als eine der wichtigsten Aufgaben erkannt war, die sich zum Ziel Scham und Furcht vor den Gesetzen

²⁰⁾ Dr. C. Schmidt, Gesch. der Pädagogik Bd. 1, p. 170.

der Vorfahren und vor dem Alter, aufopfernden Gehorsam gegen den Staat und die Vorgesetzten, strenges Mass und weise Beschränkung im Handeln, Erweckung eines kriegerischen Geistes setzte.“

Puer Spartanus modo natus, qui saepe in clypeo, hasta acclinata, nascebatur quique hisce fere verbis: „aut cum hoc aut in hoc“ salutabatur, statim vino lavabatur, quod robustos et validos tantum liberos pati inter omnes constabat. Quo facto in publica porticu stirpis maxime aetate proveci de infantis vita decernebant. Puer validis corporis viribus statim civitatem adipiscebatur, imbecillus autem et infirmo corpore praeditus in voraginem ad Taygetum dejiciebatur. Usque ad septimum aetatis annum puer domi retinebatur. Mater ipsa prioribus temporibus puerum nutrieat, postea autem, bellis Persicis finitis, nutrices quoque in domibus Spartanorum nobiliorum et ditiorum hoc munere fungebantur, et mulieres Lacedaemoniae, ut supra iam vidimus, ad hunc finem ab externis ipsis nationibus quaerebantur. Fasciis pueri non cingebantur, ne membra nimis comprimerentur eamque ob rem contra naturam crescerent²¹⁾. Prope lectulum lucerna ponebatur, ut puer primis iam annis ad lumen ferendum adsuesceret, itemque nocte lucerna adempta solus relinquebatur, ut eius animus contra timorem firmaretur. Ne clamaret, quam maxime curabant, quum clamare viri omnino non esse Lacedaemonii putarent. Corporum corroboratio atque exercitatio, virium constantia apud eos plus valebant quam ingeniorum eruditio, quamquam hac quoque posterioribus temporibus magis magisque delectabantur. Platonis dictum praeclarissimum: *ἔστι δὲ πον ἡ μὲν ἐπὶ σώμασι γυμναστική. ἡ δ' ἐπὶ ψυχῇ μουσική*, Sparta quoque iam diu imitatione dignum habebatur. Neque vero in gymnasiis pueri artificiose exercebantur et edocebantur, neque ut athletae fierent, educabantur, sed vires servare et firmare, animos inflammare et excitare Lacedaemonii maxime studebant, quam ob rem prioribus temporibus artis gymnaicae magistro pueros exercendos non tradebant. Optima magistra puerorum erat aemulatio, quae unumquemque adhortabatur, ut omnibus viribus ad laudem maximam impetrandam uteretur, quae Lacedaemonios per totam vitam comitabatur, et de qua Plutarchus dicit: *οὕτως ἔοικεν ὁ Λακωνικὸς νομοθέτης ὑπέκκαμα τῆς ἀρετῆς ἐμβαλεῖν εἰς τὴν πολιτείαν τὸ φιλότιμον καὶ φιλόκεινον, ἀεὶ τινα τοῖς ἀγαθοῖς διαφορὰν καὶ ἀμίλλαν εἶναι πρὸς ἀλλήλους βουλόμενος*²²⁾.

